DEO OPTIMO MAX.
QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis ſeptimo menſis Februarii, Anno Domini M. DCC. LX.

M. STEPHANO POURFOUR DU PETIT, Doctore Medico, Præſide.

An febribus malignis alexipharmaca.

I.


UID ſit febris maligna meliùs à Medicis intelligitur, quàm ab ullo poteſt explicari ; à febribus acutis ingentibus, periculoſis & exitialibus etiam meritò diſtinguitur, malignas enim non eſſe quaſcumque febres acutas, etiam ingentes & pernicioſas nonne teſtantur inflammatoriæ, ardentes, aliæque plurimæ ? Febribus malignis ineſt quid diſtinctivum labem peculiarem indicans, exactâ ſymptomatum collatione deprehendendum. Nam ſi adiaphora & erratica toto cœlo diſtent à febris ingenio, vel ſaltem quoad gradum & intenſionem ſint febre ſuperiora, malignitatis jure arguitur febris. Non enim ſola ſymptomatum magnitudo malignitatem evincit, ſi febris intenſitas ſymptomatis reſpondeat. Febris itaque maligna ea eſt in quâ deeſt analogia ſymptomatum cum cauſâ, totus in hoc cardo διαγνώσεως vertitur ; hoc ſolo ſigno pathognomonico à cæteris febribus diſtinguetur hæc larvata ut plurimùm incedens, & nunquam ferè ſui ſimilis. Multò verò rariores eſſe febres malignas ac vulgus exiſtimat, intelliget quicunque notas earum diſtinctivas ſedulus indagator ſimul & authoritates celeberrimorum in praxi virorum conſulet. » Febris verè maligna (ait Sydenhamius, (*a*) non eſt omnium dierum morbus, &c. » & paulò ſuperiùs ; è febribus » nonnullæ in malignarum claſſem vulgò reponuntur, cùm indomita ſymptomatum ſævitia quæ huic opinioni patrocinari videtur, non à venenoſâ morbi indole, ſed à therapeiâ perperàm adminiſtratâ proficiſcatur «. Hujus verò ſunt ordinis febres illæ quas dicunt malignas per ſe, & quæ regimini calidiori, diætæ minus exactæ, præmaturæ purgationi, potui nimis infrequenti, irritabilitati nimiæ natales ſuos debent ; quaſquè indicant pulsûs contractio, ſiccitas oris & linguæ, totius cutis ariditas ; curantquè miſſiones ſanguinis, potus demulcens & refrigerans, medicamenta anodyna. Non benè verò malignitatis nomen uſurpant illæ febres, cùm malignus ſolùm morbus ille cenſeri debeat, (*b*) » qui adſcriptas » generi ſuo apparenti phaſes non percurrit ; qui ſolito perniciùs & latenter ad » judicationem provectus Medicorum ſpem deludit ; analogice congruentibus re» mediis nullatenus obtemperat, novis ad ſui debellationem indigens ; qui tan» dem ſpecialibus propter anomaliam titulis comprehendi poſtulat «. Hujus verò labis cauſas & modum agendi aſſignare & explicare poterit ille tantùm, qui naturæ fidelis obſervator quibus præſertim aëris viciſſitudinibus ingruant febres malignæ, quibus fomitibus alantur, propagentur, qui ſint earum effectus, quibus auxiliis retundantur annotabit. His omnibus attentus à miaſmatis partim à putredine, partim à veneno quodam occulto, pernicioſo, non facile ſubigendo, nec ſibi ſemper in diverſis ægrotantibus ſimili, ſed potiùs pro ægri temperie modificando pendere deprehendet : quæ miaſmata vel in aëre volitantia corpora noſtra intimè penetrant, vel ut plurimùm in primis viis hoſpitantia ab iis tan-

(*a*) Conſt. epidem. an. 1665.

(*b*) *Vide*. Theſim An frequentior hodie quàm olim malignitatis nomen, p. p. a. M *Guettard*, Præſide M. *Payen*.

quam officinâ & fomite per universos humores disseminantur, accedente non infrequenter aëris, vel & cæterorum rerum non naturalium noxâ. Eam enim confirmant opinionem tum anni tempestates febrium malignarum grassationi faventes, austrino nempè flante vento, cœlo sudo & humido, quæ tempestas potissimùm humoribus putredinem, aëri verò noxiam & venenatam qualitatem inducit; tum res aliæ non naturales febribus malignis epidemicis viam sternentes vel occludentes, cibi vel potûs impuri, squallor corporis, sordes ædium præsertim in tuguriis suffocantibus quæ non perflant venti scoparii: aër enim stagnando putrescit, exhalantibus inquinatur effluviis, similiquè tabe inficit animalia. Non parum etiam nostræ sententiæ lucis affundunt varia hujus morbi symptomata anomala, parùm sibi constantia quæ hîc proferre longiùs foret, & è variis authoribus repeti possunt. Sufficiat adjungere sanguinem floridum sæpiùs initio apparentem falsâ specie deludere; asservatus enim non coagulatur: unde patet hanc floriditatem, ab alcalinis salibus putrescentium liquidorum quibus dissolvitur obtinere.

I I.

QUIBUS verò auxiliis tanti morbi immanitatem debellare? Quibus viribus mortis infringere minas, naturamque exhibere triumphantem? An sufficient missiones sanguinis? Venæ sectio non rarò prodest equidem, sœpe verò præsertim repetita nocet: nec morbum directè sed per accidens levat, plethoram minuendo quæ multoties præsens, tum attenuationi obstat tum expulsioni materiæ morbificæ. Etsi enim hujus pars aliqua cum sanguine exeat, reliqua tamen humoribus penitùs permixta eos non minùs inficit. Idque accidit iis qui frequentiori missione sanguinis vires exhauriunt, ut dum natura depurationi impar redditur totam massam sanguinis in saniem putridam convertant. Cruor primò emissus pulcher & floridus apparet, posteà verò lividus, putridus, dumquè camarinam movere credunt & fomitem morbi tollere, ægrotantis spiritum educunt cum latice sanioso. An sat erunt emetica & cathartica? Egregio quidem cum successu adhibentur, nec unquam omittenda: bilis enim in febribus malignis maximè prædominat, (a) & in cadaveribus hominum hoc morbo defunctorum ferè semper inventum est vesicam felleam, ductus biliarios, canalem choledochum, duodenum bile infarciri viridi vel atrâ, quæ nisi foràs eliminetur, ad sanguinem delata nervos irritat, crasim sanguinis destruit, omniaquè corrodit veneni ad instar. Id insuper adest utilitatis vomitorio, quod dum eo lancinatur ventriculus, proritetur & cerebrum, communiquè quassatu utrumque viscus expurgetur; quin & sæpè magna pars fomitis morbi saburra nempè acris putrescens expellatur. Verùm enim verò in febribus malignis adest quid singulare, adsunt scilicet miasmata tum putridæ tum venenatæ & abditæ indolis universis humoribus permixta, ut superiùs dictum fuit. Ipsa symptomatum anomalia aliâ eundum esse ac tritâ in omnibus febribus viâ nos docet, sanguis ut ita dicam depauperatus spiritus putredinis alexiterios postulat, ulterior debet præpediri putredo, miasmata verò tum putrida tum venenata emendari, evacuari: his verò omnibus indicationibus varia satisfaciunt alexipharmaca.

(a) Huxam, *Essais sur les fièvres*, p. 137.

I I I.

DUPLEX potissimùm genus est alexipharmacorum, alia enim fixioris & acidæ sunt indolis, alia volatilioris, spirituosioris & aromaticæ, ad quam familiam referri possunt camphorata, & ipsa camphora singularis licet speciei. Maximas verò utilitates secum affert utrumque genus, & in diversis febribus malignis modo hoc modo illud felicissimè usurpatur. Ubi enim prædominat putredo, venenataquè miasmata magna activitate prædita videntur, quod vividioribus symptomatis, pulsu auctiori, vel cutis ardore, deliriis convulsivis cognoscitur, optimè tunc indicantur acida; veteresque ipsi Hippocrates & Dioscorides, nihil

in his casibus suâ poscâ vel oxycrato commendatiùs habuerunt ; admixto præsertim melle. Inter recentiores verò plurimos annumerare possem, ex quibus verò excerpere lubet » (*a*) Hoffmannum de usu acidorum in febribus malignis, « & » Gualtherum de Harris de methodo quam Turcæ in pestis curatione observare solent « (*b*), si verò minor vel saltem minus activa appareat putredo, venenumquè malignum fixioris sit indolis viresquè opprimere videatur, quod indicant pulsus debilis & ad tactum vix apparens, extremitates frigidæ, debilitas summa, somnolentia, non comitante tamen ardoris interni sensu, optimo tunc successu dantur alexipharmaca aromatica, camphorata : quâ pollent enim volatilitate & subtilitate, ultima penetrant capillaria, nervosos ipsos subeunt canales, poros obstructos reserant, solida nervoso-musculoso-membranacea ad vegetiores contractiones excitant, materiam peccantem crassam, viscidam acrem, plus minusve corruptam ac putridam, per universam humorum massam disseminatam, quin & tubulis capillaribus impactam resolvunt & per corporis peripheriam dissipant, vegetum denique benignumquè calorem & motum restituunt. Nulla verò tutiùs & placidiùs quàm camphora, cum vix humores accendat, sed potius singulare refrigerium ab humorum circuitu libero oriundum aliquando præbeat, cui proximos occupant honores radices serpentariæ virginianæ, angelicæ, carlinæ. Optimo etiam quin & tutiori successu acida miscentur aromaticis, tum quòd non semper perspicuè intelligatur quibus potior locus sit alexipharmacis, tum quòd se invicem corrigant, quin & junctis viribus morbum debellent. In febribus enim malignis ctasis humorum servanda, vel etiam restituenda, ulterior sistenda corruptio, miasmatum verò discussioni & perspirationi favendum. Duabus primis indicationibus acida subastringentia satisfaciunt, ulteriori verò aromatica. Hac usus fuit felicissimè mothodo (*c*) (Huxamius,) qui camphoram ipsam cum aceto maximè commendat.

(*a*) Observ. Phisic. Chim. p. 185.

(*b*) Tract. de Morb. inf. p. 80.

(*c*) *Essais sur les Fièvres.*

IV.

APAGE verò arcanorum venditores, specificorumquè & magnificorum alexipharmacorum decantatores, qui lapides pretiosos, margaritas, aurum ipsum, lapides bezoardicos, ossa de corde cervi magno pretio quæcunque empta ægrotantibus offerunt ; esto plebem ignaram avidum genus auricularum decipiant, non certè Medicos peritos deludent. Optima alexipharmaca sumptu mediocri parare quisque potest. Ex acidorum enim familiâ sufficient succi citri, limoniorum, grossulariæ, berberidis, spiritus salis marini & vitrioli aquâ dulcificati, acetum ipsum quod vile licèt & commune miros præstat effectus, teste ipso (*a*) (Boerhaavio). Nec mirum cum ejus sal acidum temperent copiosum phlegma & oleum, penetrabilitatem verò augeat spiritus vinosus ei admixtus, quibus mediantibus remotissima pervadit capillaria, potentissimè & absque acrimoniâ abstergit, spirituum motus inordinatos compescit, nervorum irritationi medetur. Ex observationibus patet febres anomalis symptomatis stipatas, & morem affectantes illarum febrium quas dicunt malignas per se, & quæ nimiæ siccitati & irritationi originem debent, epoto copioso oxycrato omnia malignitatis signa deposuisse. Inter spirituosa verò & aromatica alexipharmaca primum certè locum obtinet camphora prudenti dosi, & debitis cautelis exhibita ; succedunt variæ plantæ ex quibus camphora peculiari encheiresi obtineri potest radix serpentariæ virginianæ, helenii, rosmarinus, majorana, hissopus, thymus, serpillus, origanum ; quin & aliæ radices zingiberis v. g. zedoariæ, angelicæ, imperatoriæ, carlinæ, quæ apud varios auctores maximè commendantur : ex quibus infusa, decocta, extracta, conservæ pro Medici nutu morbique necessitate parari possunt. Medium verò quasi locum acida inter & volatilia aromatica obtinent vina varia, quorum usum licet nonnulli in morbis omnibus reformident, nihil

(*a*) Boerhaav. Chim. tom. 2. pag. 132.

lominùs à multis præsertim in febribus malignis magnis encomiis extolluntur ; ut videre est apud, (*b*) Hoffmannum, (*c*) Pringlium, (*d*) Poterium, (*e*) Huxamium. Vina quædam ad acidam magis vergunt indolem ut vina rhenana, alba gallica; alia plus ad spirituosam & phlogisticam ut hispanica, rubra & generosa v. g. vina dicta, *de Alicante*, ex quibus eligenda sunt convenientiora. Prudenter verò semper usurpari debent, aliquid tamen sæpe dando consuetudini & appetitui ægrotantis.

(*b*) Observ. Phisic. Chim. dissert. de vini rhen. præst. cap. VI.
(*c*) *Observ. sur les maladies des Armées. tom. II, p.* 94.
(*d*) De febribus, lib. 2. cap. 28.
(*e*) *Essais sur les fievres, p.* 151.

V.

AST, clamitant nonnulli, plurimæ febres malignæ absque alexipharmacorum usu sanantur! Sed ut hic omittamus vina emetica, serum lactis stibiatum quæ tanto cum successu in febribus malignis quandoque abhibentur, non tam emeticorum quàm alexipharmacorum vices sæpiùs gerere; norunt enim Medici emetica & cathartica parcâ dosi, vel stomacho minùs mobili exhibita alterantia quin & diaphoretica fieri. Ut hoc, inquam, omittamus, annè verè semper constat de febris malignitate? Cum ubique usurpetur hoc vocabulum, morbisque ferè omnibus symptomatis gravibus stipatis temerè adscribatur. Non soli verò morbi multùm periculi minitantes nomen illud sortiti sunt, sed & ægritudines variæ quibus laborat multitudo à medicantibus & agyrtis eam invisentibus malignitatis accusantur insontes, ut populo hiante medelæ uberius pretium, sanationis fama major, lethi verò minor ignominia redundet. Hanc totam decipientium & deceptorum turbam ad veritatem reducere nec possibile, nec quisquam ut credimus sperat. Solorum Medicorum est, & arte versatorum virorum morbos malignos sagaci discernere oculo; non nubem pro junone amplecti, non ægrotantibus facere fucum eos docuit scientia, experientia, probitas. Quæ verò excellentibus viris suppeti notitia, qualis accendi poterit fax viæ directrix asperæ; hic certe non temerè nec inutiliter ea proponitur sententia, cui propugnandæ præsentia affulgent sidera omina certissima, experimenta benè multa, ratiocinia, eruditorum plurimorum præceptiones. Hanc maturè perpendant adversarii, bonâque fide meminerint non in omnibus morbis eâdem viâ eundum esse; nec cunctis febribus sanandis sufficere venæ sectionem, emetica, cathartica, ptisanas vulgares: hujus autem sunt generis febres malignæ, & certè eò potiori jure quòd à cæteris plus recedant. Et si, quod non infici potest remediis mox laudatis multoties cesserint, nihilolominùs fateantur celeriùs & jucundiùs methodo hic propositâ debellari, profligari. Itaquè concludendum,

Ergo febribus malignis alexipharmaca.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Hugo Capet.	*M. Joannes-Jacobus Messence.*	*M. Petrus Arcelin.*
M. Petrus-Augustus Adet.	*M. Carolus-Franciscus Theroulde de Toulouse de Vallun, Eques.*	*M. Petrus Chevalier.*
M. Jacobus Barbeu-du Bourg, Regiæ Scientiarum Academiæ Stokolmiensis Socius.	*M. Anna-Carolus Lorry.*	*M. Franciscus Bernard, utriusque Pharmaciæ Professor.*

Proponebat Parisiis JOANNES-ARMANDUS ROUSSIN DE MONTABOURG, Parisiensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor, A. R. S. H. 1760, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Universitatis & Facultatis Med. Typographi, 1760.